



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 4. Proemia & pœnæ jeiunium quadragesimale obseruantium, aut
violantium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

volebat Daniel, cum tribus pueris, nisi legumina ad vescendum, & aquam ad bibendum, & tamen apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui vescabantur cibo regio. Ergo amici Dei, & pauperes, quorum est regnum Dei, non solum exquisita non curant, sed etiam refugiuunt, quidquid est delicatum. Quin sæpe neque micis saturantur, quæ cadunt de mensa dominorum, & tamen sani sunt, atq; robusti: morbis innumeris carent, quibus, qui in domibus regum sunt, scatent. Nempe diuina bonitas alit illos, & ipsa abstinentia est illis pro medicina.

§. IV.

Præmia & poena ieiunium quadragesimale obseruantium, aut violantium.

Ad eundem modum, qui Ecclesiæ præcepto, per 40. dies, graui abstinentia obediunt, & sanescunt sæpe, & insuper hostem domesticum carnem spiritui rebellatē domant; Acheronticas laruas vincunt; peccata abstergunt; in spem veniunt, quæ clamat: *Beati qui esuriunt & sitiunt, quoniam in cælo, cum Lazaro, saturabuntur.* O quanta tunc erit rerum metamorphosis! Tunc bona recipient, qui nunc magis affliguntur; & qui nunc

Matth.
5. 6.

nunc ducunt in bonis dies suos, in puncto ad infernum, cum Epulone; proiecti, frustra vnius guttæ petent refrigerationem. Tunc accumbent in nuptijs agni; qui nunc ante fores magnatum, inter canes, jacent; & qui nunc in purpura & eburneis fellis accumbunt; tunc, ante tristem Cerberum, prosterrentur: *subtus sternetur tineæ, & vermis erit experimentum eorum.* Tunc ipse Dominus transiens ministrabit illis, qui iam, neq; inter mancipia consistere permittuntur; & qui iam primos accubitus ambiunt, in ordinem redigentur, infimique erunt, quando jubentur descendere, vt nouissimum locum in Tartaro occupent. Tunc *torrente voluptatis potabuntur*, qui nunc *panem suum cum fletu miscent*: & qui nunc semper Hilaria celebrât, ac Bacchanalia viuunt, tunc demû sentient, *extrema gaudij* à luctu occupari. Quis igitur non vellet, aliquid hîc pati? famere? Ecclesiæ parere? jeunio vacare, & Deo valeditudinis suæ curam permittere? cum illi, qui medicos quiritando corrumpunt, aut quibus corporum magis, quàm animarum, curiosi medici pestiferè adulantur; aut qui iam debilitatem, iam occupationem, iam hunc, iam illum morbum, pro libitu, fingunt, &

M

præ-

Isa. 143

II.

Eccli. 3.

24

prætexunt, vt carnibus se farcire, & comestando tempus atque conscientiam fallere possint; satietatem suam nimis longa & acerba, in Acherunte, inedia sint commutaturi. Itaque *judicium patris audite filij* (Ecclesiæ) & *sic facite, vt salui sitis*. Si parum est vobis, paruo contenti estote: si multum, obedite Ecclesiæ ieiunia præscribenti.

§. V.

Frivola excusationes ieiunia præcepta detrectantium.

At seuerum est præceptum; grauis inedia; longa dies; impatiens venter; ingens consuetudo comedendi? Negantur calida. Nec panis satis conceditur. Additur pomū nanum, aut pannucium; libi buccia; vilium. Libare hoc est, non cœnare. Hæ voces sunt gulonum, & manduconum, & nō tam corporis fomenta, quàm libidinis nutrimenta quærentium; atque eorum, qui inediæ fræno imprimis indigerent. Nimirū, vt cæci, vident; & loquuntur, vt muti, hoc est, nihil, aut, quod ipsi non intelligunt, veri Polypi, qui, *ubi quidquid tetigerint, tenent*; seu esculentum sit illud, seu poculentum. Heu quàm multū distant nostrorū sæculorum ieiunia, ab illa sanctissima antiqui-